



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab Anno Christi 726. Usque Ad Annum 813

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1760**

**VD18 90117859**

§.7. Constantini fata. Irene imperat.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66091](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66091)

**Sæcul. VIII.** berto anno 794. occiso, extinctum. Hæc  
**A. C. 796.** Synodus in loco, qui dicebatur *Fincab-*  
*bal*, Echanbaldo Archiepiscopo Eboracensi præfidente, habita, in qua præceptum, ut antiqua Disciplina & præscriptum tempus Paschatis servaretur.

**Simeon Dunehm. L. II.** Antequam hæc Synodus ageretur, scilicet anno 793. Ethelredi, qui idem est ac Ethelbertus, regnantis quinto, Dani, seu Normanni, Angliæ littora infestaverunt, & de navibus descendentes, quocumque pervenirent, prædas egerunt, Presbyteros, Monachos, Sanctimoniales occiderunt. Septima die Junii Ecclesiam Lindisfarnensem invadunt, Altaria evertunt, & Thesaurum diripiunt. Quosdam etiam ex Monachis trucidant, alios captivos abstrahunt, alios spoliatos & modis indignis habitos in mare præcipitant. Postquam autem funestæ prædonum cohortes recessissent, illi Monachi, qui eorum furorem effugerant, apud Reliquias S. Cuthberti Patroni sui denuo congregati sunt, & nihilominus Sedes Episcopalis in illa Ecclesia adhucdum longo tempore stetit.

**Sup. Lib. XL. §. 43.**

## §. VII.

*Constantini Fata. Irene imperat.*

**Theoph. an. 7. p. 398.** Inter hæc in Oriente Imperator Constantinus juvenis Irenis matris insidiis carceri datur, cum ea Procerum præcipuos in

in suam factionem pertraxisset, atque oculis privatur tam immani saevitia, ut ex dolorum acerbitate expiraverit. Peractum est facinus in Sabbato die 19. Aug. anno 797. Indictione quinta, postquam utcunque imperasset annis ferme septendecim. Tunc ergo Irene sola adhuc regnavit. Illa illico Exules revocavit, atque inter alios S. Theodorum. S. Plato quoque e carcere eductus, cui Tarasius Patriarcha excusavit, quod minore constantia iniquis obstitisset, invitavitque ad sancendam reconciliationem. Igitur in gratiam redierunt, solo Josepho Presbytero, qui nuptiis Theodotæ benedixerat, poenas dante; hunc enim a Presbyteratu depositum ejecerunt.

Sæcul. VIII.  
A.C. 797.

vit. S. Plat.  
c. 5. n. 30.

S. Theodorus sine mora relicta Constantinopoli ad suum Monasterium rediit, ubi dispersum gregem suum collegit, & Fratrum numerum, multis eximii viri famam sequentibus, auxit. Verum, elapso temporis spatio non longo, ex eo Monasterio iterum migrare cogitur, ut incursus effugeret Mussulmannorum, qui vix satis a Civitatis Constantinopolitanæ portis arcebantur. Ergo cum tota Congregatione in urbem confugiens, amicissime excipitur a Patriarcha & Imperatrice, instantissime rogantibus, ut in Monasterio Studii diver-

Con-vit. Theod.  
c. 27.

c. 29.

Sæcul. VIII.

A. C. 797.

Cang. C. P.Lib. 4. p. 103.

tere vellet. Illud Monasterium ita nominabatur a Studio Patricio & Consule, qui cum Roma Constantinopolim, incertum quo tempore, venisset, ibique sedem fixam elegisset, Ecclesiam cum Monasterio in honorem S. Joannis Baptista fundaverat. Postquam Monachos Constantinus Copronymus expulisset, postliminio quidem redierant, sed pauci, quippe numerum duodenarium non excedebant. Illuc ergo Theodorus transtulit suam Congregationem, quæ ipsius ætate usque ad mille fratres aucta, cetera Constantinopolitanæ Civitatis Monasteria sui nominis fama longe post se reliquit. Ipse vero inde Theodorus Studita vocatur.

c. 31.

*vit. S. Plat.*

c. 6.

Tunc vero S. Plato metuens, ne tantæ Congregationis regimen suscipere compelleretur, cellulæ simpliciter includi petiit, & obedientiam professus est in manibus Abbatis Theodori nepotis sui, præsentibus testibus ad id ipsum convocatis. Quod votum severe observavit; nam angustæ & incommodæ cellulæ inclusus, pedem alterum innexuit catenæ, quam maxima cura occultabat, ita ut paucissimi hunc rigorem scirent. Ibi meditationi Verbi Divini & labori manuum intentus, fratribus se consulentibus monita salutaria suggererat.

§. VIII.